

DE

QVINCTILIANO

OPTIMO SCHOLAE REGENDAE MAGISTRO

COMMENTATIO POSTERIOR

QVA AD

ORATIONEM

RECTORIS IN SCHOLA DRESDENSIVM

CRVCIANA MVNERIS

BENIGNISSIME SIBI DEMANDATI

ADEVNDI CAVSSA

D. XVIII. JUN. MDCCCLXXII. H. L. Q. C.

RECITANDAM

OFFICIOSISSIME ATQVE HVMANISSIME

INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE.




lit. Rom. B.


1249,20

DRESDAE

TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.



Operam praeceptor disperdet, si quis sibi sapere, sibi praecipere, non discipulis fidei suae commissis, videatur. Dicit enim vix potest, quantum emolumentum in scholam redundet ex dilectu ingeniorum, de quo generatim exposui quaedam, in ipsa institutione adhibito, quantum schola detrimenti accipiat, hac animos internoscendi cura in docendo negligentius omissa. Igitur Quintilianus, prudentissimus ille existimator ingeniorum, hic praecipue moratur. Huic etenim *utile cum plerisque visum est, ita quemque instituere, ut propria naturae bona doctrina fouerent, et in id potissimum ingenia, quo tenderent, adiuuarentur.* Lib. II. C. VIII. Elegans sane est comparatio, qua tanti momenti rem Fabius illustrat, a gymnasio deducta, in quo motus corporum, pro cuiuslibet naturae habitu, magna sollertia distinguebantur. Quanto magis refert, ut motus animorum incredibiles dispicias ad cogitandum scribendumque instituendorum? De quo quidem optimus scholae regendae magister sic praecipit l. c. *Vt si quis palaestrae peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omnino corpus animumque, discernat, cui quisque certamini sit praeparandus; ita praeceptorem eloquentiae, cum sagaciter fuerit intuitus, cuius ingenium presso limatoque genere dicendi, cuius acri, dulci, aspero, nitido, urbano maxime gaudeat, ita se commodaturum singulis, ut in eo, quo quisque eminet, prouehatur.* Quisque praeceptorum ad diuersa iuuenum ingenia haud segniter animum in his erudiendis poliendisque aduertens alios inueniet ad stilum luxuriantem ac redundantem, alios ad moderatum et acutum, alios ad pressum concisumque natura sua procliuem. Quibus temperamentum est cholericum, hi Atticum, quibus sanguineum, Asiaticum, quibus ex utroque mixtum est, Rhodium genus dicendi facilius comprehendent. Ad quam scribendi formam adolescentes, e solo Lexico haud docti, natura
duce



duce ferantur, statim intelliges, tum ex pensis ad emendandum tibi traditis, tum ex scriptoribus, quibus maxime delectantur. Sed cuiuslibet indolem in formando limandoque dicendi genere prudenter sequi, naturam vel coërcere luxuriantem, vel nimis siccam atque aridam succis quibusdam melioribus innutrire, vel nervos ac lacertos elumbi ac ieiunae, praesidiis monstratis, addere, hoc opus, hic labor est. Multae id lectionis est atque exercitationis, cum circumspecto, acri certoque iudicio coniunctae. In quo quidem magnum artificem diu cognoui miratusque sum Freytagium, cuius veneror cineres, Praeceptorem nunquam poenitendum. Falluntur, qui suo hic ingenio, suo scripturae genere iuvenes aestimant singulos, cancellis ac lituris specimina inducunt, ad formam, quam ipsi solam amant, non efficta, aut potius detorta, rem acu hos demum tetigisse rati, qui formulas quasdam sollemnes ac flosculos, quos ipsi habent in deliciis, ad nauseam usque retractant.

Eadem institutionis prudentia, quando vires praeceptoris ac natura tulerint, in speciminibus poëticis utendum, in quibus emendandis haud syllabas spectare ac pedes sufficit; sed imprimis videndum, cui carminis generi iuuenis poësin haud fastidians aptus sit, cum alius, edoctus, faciles terfosque fundet Elegos, alius carmini heroico, alius lyrico maxime idoneus videatur, raro adfit tanto praeditus ingenio, ut poëtam spiret in quouis genere felicem.

Neque tamen haec ad solam Latii linguam referri volumus, quam quidem ita censemus in scholis colendam, ut recte atque apte scribendi loquendique comparetur facultas; sed maiorem tamen, certe haud leuiorem, in lingua patria, quod multi praeceptores, non sine maximo iuuenum damno, negligunt, consecretandam existimamus. Nam parum plerumque proficiet, qui disciplinis academicis intentus cum sermone patrio demum familiaritatem, a decenti cultu haud alienam, inire voluerit. Ad scri-



bendum vel dicendum veniens saepe imitabitur quae ab ingenio suo abhorreant, nunquam sibi constabit, a magistro, linguae huius perito, in viam rectam non deductus, vel cothurnis ridicule incedet, ampullasque et fesquipedalia verba proiiciet, Anglos aliosque, quorum non capit ingenium, perperam secutus, vel humi repet misere, vel alios scribendi praesidium in semet ipso non inueniens exscribet.

Rationem vero grauissimam reddit Quintilianus, cur ingeniorum exploratione tam circumspecta, in ipsa potissimum institutione, sit opus, quod non obseruata natura, dotes, quibus excellere potuissent iuuenes, infirmentur, contraria vel frustra, vel non satis tententur, *quod, vt ipse ait, et adiuta cura natura magis eualescat, et si in diuersa ducatur, (adolescens) nec in iis, quibus minus aptus est, satis possit efficere, et ea, in quae natus videtur, deserendo faciet infirmiora.* Iuuenes vel nulli, quod Lydium lapidem ferat, generi dicendi in scholis adsuefacti, vel natura reluctante quoddam dicendi genus affectantes oleum atque operam, in rectum tramitem non reuocati, perdent. Breuiter, inuita Minerva quid experiri, perinde est, atque inuitos canes ducere, vel cum gigantibus caelum stultitia petere.

Maioris tamen momenti est aptus studiorum seueriorum dilectus, vt ea sollerti prudentique iudicio secernantur, ad quae quisque iuuenum est maxime idoneus. Quaedam et hic Fabius habet, non contemnenda. *Proprietates, is monet, ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoque certum studiorum facere dilectum nemo disuasit. Namque erit alius historiae magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio iuris, vt non nulli rus fortasse mittendi.* Repetit deinde ingeniorum cum gymnasio comparationem, haud ineptam. *Sic discernet haec dicendi magister, quo modo palaestricus ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliudue quid ex iis, quae sunt sacrorum certaminum. l. c.*

Sed



Sed ista hic praecepta tradens minora spectat: Rector celebrioris scholae ingenia dispescens in classes tres maiora sibi respicienda existimat. Summa quidem ingenia, si qua appareant, in quibus natura, quid efficere possit, experta sit, mox acuere debet ad ambitum fere omnem artium singularum ac disciplinarum (plurimis enim erunt paria) confectandum. Tale ingenium, non ab hominibus factum, aut eruditum, sed a Deo, ut Richerius ait, procreatum et informatum, ita se protulisse atque ostendisse in Hugone Grotio nouimus, ut puer adhuc non solum linguas caleret plurimas, ac virilis ingenii monimenta conficeret, verum viua quasi bibliotheca et spirans encyclopaedia videretur. Tale ingenium, diuinitus excitatum, tenerrima statim aetate in Leibnitio exsplenduit omnia tentans, nihil non feliciter, frenis a praeceptoribus quibusdam frustra iniectis. Magnam huic pater optimorum copiam librorum philosophicorum, iuridicorum ac theologorum domi instructam reliquerat, e qua supellectile, nondum annos quindecim natus, ingentes variae doctrinae opes colligit, collectas mirifice auget, summos deinde viros in variis disciplinis praeceptores nactus. Caue tamen existimes, ingenia mediocria tam spatiosum disciplinarum campum feliciter ingressura, nusquam haec futura, comperies, si vbique esse volueris, et ex omnibus aliquid, si est aliquid, quod capiunt, in toto nihil perceptura. His potius, caeteris posthabitis, monstranda scientia videtur, ad quam maxime propendent. Recte Quintilianus *imbecillis ingeniis sic obsequendum* censet, *ut tantum in id, quo vocat natura, ducantur.* Ita qui mediocri pollentes ingenio sanctiori disciplinae animum consecrarunt discipuli, hi artibus tantummodo dent operam, quae ad illam cum fructu discendam faciunt, iuris prudentiam amplexuri ea in scholis potissimum studia sequantur, quae ad leges intelligendas atque ad forum applicandas viam sternunt. Infima vero ingenia haud statim desperentur verbis durioribus, scintillasque pauculas exstinguentibus; sed
* 3
longa



longa ferantur patientia, labore improbo, quamuis fastidioso, excitentur, colantur, recolantur, ad spem diligentiae non inanis erigantur, nihil non tentetur in his iuuandis, monendis, acuedis. Etenim saepe naturam ab arte vinci, compertum est. Sic subtilissimus ille Thomas Aquinas, scholam discendi caussa ingressus, tanta stupiditate fuit, huic vt muti bouis nomen commilitonum petulantia imponeret. Inuicto autem labore, quem bene cessurum praeuidit Albertus Magnus, tantum superauit naturam, vt tandem doctoris angelici, seraphici et irrefragabilis elogio maclaretur. Annonae profecto caritate nullo non tempore premeremur, si nullos agros, nisi natura iam fertiles, coleremus. At enim vbi Rector omnia experiundo mouendoque nihil promouet, vbi, summa quamlibet vi ac maximo labore diu multumque nitentes, discipuli nulla prorsus, certe admodum exigua spatia conficiunt, tum ab artibus liberalibus homines ingenio cassos ad illiberales traducat.

Cum primis autem iuuenes haud negligat, qui natura felici ac facili ad poëseos studium feruntur. Quod tantum abest, vt inane atque inutile prudentioribus videri possit, vt potius qui in arte diuina haud segni exercitatione versantur, ex hac multa sibi contemplanda atque imitanda proponant, ex hac igniculos concipiant, quibus deinceps incensi ad summa quaeuis contendant, rebus propemodum omnibus, exculti, sufficient, eloquentiam non minus sacram, quam profanam, sine vilo negotio comparent. Cum enim, iudice Morhofio, si quis *in poësi sine artis praeceptis proficit, praeclari hoc intellectus est documentum, cuius se aliquando vis in aliis disciplinis exeret*; tanto magis poëtica ingenia in disciplinis altioribus pleno, quod aiunt, gradu progredientur, solertiaeque et labore difficillima quaeuis vincunt, si ad naturam eximiam atque illustrem accedat ratio quaedam et conformatio doctrinae, si in solis carminibus pangendis non subsistant, si mature ab rebus minutis ad seria reducantur. *Certum id est, vti cen-*
set,



set, quem testem modo laudavi, Morhofius, *multisque exemplis constat, poetica facultate prae caeteris insignes, omnibus studiis admiraculum usque fuisse aptissimos.* Summus ille Grotius, de quo paullo ante dictum est, poësin, ad quam natus videbatur, inde a pueritia mirifice amavit atque coluit, eiusdemque praeclara specimina vix octauum agens annum edidit, poëtas, plurimis quamlibet maximisque negotiis obrutus, quoad vixit, lectitavit, Lucano inprimis adeo captus, eum ut in manus sumtum exoscularetur. Leibnitijs ad poëtas frequenter legendos iam puer miracupiditate accessit, ingenique poëtici deinceps illustria monumenta posteris tradidit. Virgilium praecipue, cuius virili gravitate delectabatur, diurna nocturnaque manu sic voluit, eum ut totum iam senex memoria promptissima complecteretur. Taceo Bergeros, Crellos, Freytagios, Trilleros, Richterros, Boehmios, Halleros, Crameros, Lessingios, Kaestneros, Klotzios, aliosque summos viros, qui natura felices in studiis poëticis, ad amplissimae doctrinae gloriam, nulla obliuione delendam, peruenerunt.

Quoniam tamen nullum ingenium adeo sagax felixque nascitur, cui non sit admixta quaedam stultitia, haec emendanda prius est atque abolenda, priusquam ad caetera progrediaris. Quam emendandi curam si abiicias, simul

Infelix lolium et steriles nascentur auenae,

et vitiosa tantam habebunt vim, ut meliora quoque et saniora corrumpant. Sic se gerendo Rector erit Isocrati, clarissimo praeceptoris, similis, cuius prudentiam Quintilianus l. c. laudat cum Cicerone, de Oratore l. iii. c. ix. qui Tullii locus insignis huic commentationi finem imponat. *Videmus ex eodem quasi ludo summorum in suo cuiusque genere artificum et magistrorum exiisse discipulos dissimiles inter se, attamen laudandos, cum ad cuiusque naturam institutio doctoris accommodaretur. Cuius est vel maxime insigne illud exemplum (ut caeteras artes omittamus) quod dicebat Isocrates, doctor singu-*



singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere. Alterum enim exsultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem et quasi verecundantem incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limauit, ut id conformaret in utroque, quod utriusque natura pateretur.

Ego vero ad imitandum optima quaeque mihi esse proposita existimans, si, quamuis non assequar, in oculis perpetuo feram Isocratis et Quintiliani prudentissimam disciplinam, ad munus iam accedo grauiissimum, ab AMPLISSIMIS REI PVBLICAE DRESDENSIS PATRIBVS, PATRONIS SINGVLARI PIETATE ET OBSERVANTIA PROSEQVENDIS, in schola Cruciana, benignissimo suffragio mihi delatum. Ad quod rite capeffendum, orationem aditalem faciam testem religionis, pietatis atque obseruantiae in DEVM IMMORTALEM, PRINCIPEM ELECTOREM SERENISSIMVM, PATRONOSQVE ET CVRATORES SCHOLARVM PROVIDENTISSIMOS, in animo meo, dum viuam, sensuque intimo defixae. Eam ut orationem de Basedouiana disciplina rectis iuuenum moribus ac profectibus haud quaquam accommodata, exponentem, scholarum PATRONI ac FAVTORES, inprimis EPHORVS scholae MAGNIFICVS AC SVMME VENERABILIS, PATRES CONSCRIPTI AMPLISSIMI, GRAVISSIMI AC SAPIENTISSIMI, SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDI, et *Clarissimi scholarum Magistri* cras, hora secunda pomeridiana, rogo beneuole audiant, fretus EORVM voluntate in scholas adeo prolixa, et humanitate, quam pietate, obseruantia studiisque nunquam non colam ac tuebor. Scrib. in schola Dresdensi Cruciana, xv. Cal. Iul. A. O. R. clb lb CCLXXII.

